

Q. N. 300, 49.

X 2044106

Za
233

VAL. ALBERTI,

P. P. Lipsiensis

EPISTOLA

AD ILLUSTRUM EXCELLENTISSIMUMQUE

SECKENDOR-
FIUM,

Commentum Samuelis Pufen-
dorffii de Invenusto Veneris
Lipficæ Pullo Refutans.

Adjectæ sunt ipsius etiam Secken-
dorffii Notæ quædam atque
Animadversiones.



LIPSIAE,

Sumpt. MAURITII GEORGII WEIDMANNI.
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

1688.

15

~~EE~~ 13

In V. Excell.

Tit. J. Appella



Lipsius de Calumniatore

in Orat. de Calumnia:

Verbulo de quopiam questus sum? graviter accusasse me dicet. Leve aliquid notavi? carpisse omnia. Ambiguum sermonem habui? quod deterius est, eliget. Et ad summam, quod Medici de cucurbitis dicunt, quas Corpori affigunt, non nisi prævum eas, vitiosumque sanguinem educere: Verius de isto ego, qui attrahit ad se non nisi mala. Atque utinam attrahat tantum! Sed saepe abs se addit & inspergit: & ut dicta, ut facta refert, quæ nec in somnio nobis cogitata. Sicut araneæ casses & filamenta mirâ arte è suo corpore gignunt: Sic iste fraudium argutos laqueos suopte ingenio nectit.



JESUM!



Iteras ad Te, Illustris Excellentissimeq; Secken-
dorfi, mihi jam daturus, incidit haud incom-
modè illud Casauboni, quod aliquando de
non dissimili argumento nec alia occasione
ad Scaligerum perscripsit: *Unicum adhuc existis*

Epist. 416.

(Francofordiensibus) *nundinis librum vidimus, Minerval Tibi
& Drusio appensum à Serario, qui ferè intra retia capta similis
fædum in modum jaëtat sese, nodum magis etiam astringens.
Deum immortalem! quantum ineptiarum, quantum (λωϊολι-
κῆς) ἀναιχυντίας, πανουργίας, συκοφαντίας, καὶ ἐκ οὐδ' ὃ πλέγω.*
Scio illos omnes, qui Pufendorfi Chartas nuper adversus
Te, Domine, meq; in lucem editas legerunt, exactissi-
mam omnium, tametsi diversissimis acciderint tempori-
bus, harmoniam, me tacente, hic agnituros esse. Uni-
cum illum Pufendorfi librum ex istis nundinis, cum hæc
scribo, vidimus, missum nimirum ad Nos, sub ipsum il-
larum initium, solum omninò & absq; comite, forte
quod sui similem in tanta librorum copia invenire haud
posset. Minerval verò Tibi, Vir Maxime, mihiq; in eo a
Pufendorfo dependitur, qui ferè intra retia capta similis
fædum in modum jaëtat sese, nodum etiam magis astringens.
Postquam enim victum se à veritate constrictumq;
videt, nititur quidem omnibus, quibus potest, modis ex-
cedere, evadere, erumpere; sed quo vehementius se ja-
ëtat, eo magis nodum adstringit. Unum quod superest
in convitiis refugium quærit, haud invenit. Deum im-
mortalem! quantum ineptiarum, quantum ἀναιχυντίας,
πανουργίας, συκοφαντίας, καὶ ἐκ οὐδ' ὃ πλέγω. Ubi unicam,
ceu vides, vocem, λωϊολιτικῆς, omisi. Serarius enim cum

Titulus libelli:
Minerval di-
viniæ Hollan-
diæ Frisicæq;
Grammaticis,
Jos. Scaligeri
& Jo. Drusio
dependens. Vid.
Tom. I. Opu-
sculor. 1. 107.
seqq.



Jesuita fuerit, Pufendorfius nostris Sacris addictus est, & inter Secretarios in Regia Sveciæ locum hæctenus obtinet. Hoc vero eo magis dolendum est, hominem, qui fidei nostræ consanguineus est, & inter exempla humanitatis atq; gravitatis Aulicæ nitidissima quotidie versatur, tam turpiter se gerere, tamq; inique agere Nobiscum innocentibus, nisi quod nisi sumus libertate dissentendi ab ejus Novitatibus, quibus auctoritatem oraculorum tribuendam esse ignoravimus, ipseq; asserere, tametsi re ipsa faciat, expressis verbis non audet. Doleo verò non tam meo quam tuo, Generosissime Seckendorfi, nomine, tantam calumniæ vim esse, ut impune grassari, publiceq; ipsi insultare innocentia possit. Ego enim, tametsi nullo alio, quam ipso Pufendorfo Judice, hanc pœnam promerui, quod solus sim, ceu putat, ex omnibus Ejus adversariis, qui publice nondum silet. Tu verò, Domine, nihil opposuisti censura Ejus, quam de Te tulerat, iniquissima; fretus nimirum Conscientia veri, mihiq; relinquens gloriam defendendi Te, qui propter Me, absque Culpa tua, læsus fueras gravissimè. Hinc verò illæ Lacrymæ. Sicut enim à Pufendorfo impune dissentire, per ipsum non licet: ita rationem sui dare dissensus aut daturum non impedire, scelus est oppido ingens, & nisi aculeatissimis ipsius Chartis non expiandum. Hoc verò Tibi, Domine, vitio ac Culpa datur; Quid? Gravius adhuc est, quod commisisti, crimen, *incitando me prolixa Epistola, ne litem hanc aliquando intermori paterer, sed ipsi molestus esse ne desisterem; si nimirum fides Pufendorfo habenda fuerit. Sed quæ habeatur? ubi literæ, quas suæ testes narrationis laudat, ne uno quidem apice Actori favent ejusque causam probant aut juvant. Peccaverit itaque necesse est, aut ipse Pufendorfius, fingendo, quod nunquam factum est; aut ex Amicis Ejus, quos Lipsæ sibi non deesse gloriatur, narrando unus aut alter per literas de literis, quas nec legerunt unquam, nec Earum aliunde cognoverunt argumentum. At enim vero*

Comment.
pag. 31.

Ibid. 5.

Que

Quæ neq; futura, neq; facta sunt, tamen ii sciunt.
Falson' an vere laudent, culpent, quem velint,
Non stoccifaciunt, dum illud, quod libeat, sciant.
 Hæc autem cum è Comico recito, memini, mihi met im-
 putari ipsi, quod falso Te, Illustris Seckendorfi, laudave-
 rim, conquisitis Titulis, & effusis in Inscriptione elogiis,
 quibus Tu ferendis par esse haud possis. Tibi vero, Do-
 mine, dum solatio esse potest, quod Collegium etiam in
 Aula Electorali summum eo, quo vocatur à me nomine,
 indignum esse censeat; Ego cum Plinio Meo, quem à me
 studi selegi, more suo, quod est, sarcastice fatetur, agnosco
 crimen, amplector etiam. *Quid enim honestius culpa benignitatis?*
Qui sunt tamen isti, qui Amicos meos melius norint? Sed ut no-
rint, quid invident mihi felicissimum errorem? ut ut enim non sint
tales, quales à me predicantur, ego tamen beatus, quod mihi vi-
dentur. Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant:
nec sunt parum multi, qui carpere Amicos suos Judicium vocant:
Mihi nunquam persuadebunt, ut meos amari à me nimium putem.
 Et quæ putem? præsertim ubi nihil, cuius me pœnitere possit,
 à Censore in medium affertur. Viros Magnos, Principis
 Maximi Senatores, de Republica & Ecclesia optime me-
 ritos, *Patres Patriæ* salutavi; Elogio, si Censori cre-
 das, indebito, quod hætenus non nisi Principibus aut Rem-
 publicam summo cum Imperio administrantibus competere creditum
 fuerit. Sed bene mihi, quod & Senatores olim Romæ vocaban-
 tur *Patres*: quod sic consulere Civibus, ut *Patres liberis* deberent.
 Bene, quod Q. Catulus Ciceronem, quod multi alii eum saepe in
 Senatu *Patrem Patriæ* nominarunt. Bene, quod hoc ipse an-
 notare ac referre non erubuit, cum verba faceret pro alio,
 seq; Principem non esse, probe sciret. Te vero, Virorum
 Excellentissime, quando *honorum omnium Asylum* vocavi, bis,
 ut audio, peccavi. Nec enim omnes boni Asylo indigent,
 nec si opus haberent, illud omnes apud Te invenire pos-
 sent. Sed cum hanc five Catachresin five hyperbolen, ne
 pueris quidem ignotam, ferre nolit inter elogia Viri Opti-
 mi, non improbabit eandem in vituperio apud Cicero-
 nem,

Plautus Tri-
num. Act. 1. sc.

J. J. 2.

Comment.

pag. 31.

Ib. pag. 35.

Epistolar. VII.

28.

Comment. p.

35.

Flor. L. I. cap. 1.

& Freinsh.

in h. 1.

In orat. pro P.

Sextio.

Comment. p.

In M. Anton.
Philipp. XIII.

Ibid. p. 32.

Stat. L. I. Syl.
var. 4.

Erid. pag. 176.

Comment.
pag. 26.

Ibid. p. 7. 18. 42.

nem, quo nullum aliud magis unicuique Calumniatorum
convenit: *Omnes Te Dii, homines, summi, medii, infimi, Ci-
ves, Peregrini, Viri, Mulieres, Liberi, servi oderunt.* De To-
ga te immortaliter meritum esse dixi; *Encomio, si Pufen-
dorffium audias, tam absurdo, ut ludibrii causa positum esse credi
queat. Nam etiam in veteranum sartorem, & qui commodas To-
garum formas commentus est, cadere potest. Quinam igitur Pu-
fendorffio apud Latinissimos Scriptores viri Toga praestantes e-
runt? quinam, qui ab iisdem dicuntur Toga mulcere ferrum?
forte, qui scuta aut scruta linteolis mundant, nitidiora quae
ferrugine deterfa reddunt. Hanc nimirum μεταμóρφωσιν
acumini Censoris, Togati debebunt Heroës, quorum est
*Parcere verberibus, nec qua jubet alia Potestas
Ire, sed armatas multum sibi demere vires:
Dignarique manus humiles & verba precantum:
Reddere Jura foro, nec proturbare Curules,
Et ferrum mulcere Toga.**

Quanto rectius fecisset Aristarchus Noster, si Ami-
cos suos monuisset, ut ipsi per prodigalitatem Titulorum
ablandiri ulterius ne pergerent. Sed quomodo hæc face-
re potuisset is, qui Rolleti chartas si non conscripsit Ipse,
de quo adhuc sub Judice lis est, Eridi tamen suæ inseruit,
Samuelem Pufendorffium Titulo *Viri Illustris* plusquam re-
verenter salutantes; qui quæ ut eas doceret suas non esse, non
ad has phaleras, quasi ab alio sibi nolenti ac nescienti fu-
issent impositæ, sed *ad diversitatem styli* unice provocavit. Ea-
dem, quod est, perversissima Methodo agit cum eo, qui
more Poetarum, quos inter excellit ille, me aliquando in
Carminè *Alberto Magno majorem*, profecto absque applausu
meo vocavit, quem quæ ter per latus meum uno hoc scripto
suo pungit. Sed quando idem Vir Optimus Pufendorffium
postremi Livium ævi:

*Nulli Antiquorum, quos Hellas Romæque jactat
Ingenio, Calamo, atque oculata mente secundum,
publicè appellat, nitidissimeque describit, nihil ultra meri-
tum finxit, vivis ipsum coloribus pinxit ac expressit. Sibi
vero quod æqvissimum esse putat, in aliis habet pro ini-
qvis-*

qvissimo. Unde non mirum est, Aures etiam ejus tam teneras delicatasque esse. *ut superlativis inissimus offendantur valde, quos per quadrantem hora Auditoria persibilare, ea qua solet fide ac gravitate scribit.* Quis autem vocare hoc audeat *Judicium Viri Gravissimi, Eruditissimi, ac super ista Verissimi?* quibus superlativis, nesciens quod Pufendorfius confluxum eorum sit improbaturus, *Mamilianum suum exornavit Plinius.* Idem licere sibi putavit in famam Tuam, Seckendorfi Inclutissime, apud exteros; quasi, quæ latina non sunt, nec legant nec intelligant; Idem in Libros Tuos, nemini, nisi Pufendorfo, ejusque similibus per manifestissimam calumniam aut ex invidia non obscura improbatos. Quemadmodum etiam Libellum meum, quem ob causas in præfatione redditas Interesse Religionum vocavi, non sine consuetis blanditiis *stolidissimum* vocat. Illi nimirum foli, quos Pufendorfius aut Severinus de Monzambano scribit, *sunt admiranda Eruditionis Libelli;* quod elogium à Rolleto fœtui Monzambani tributum Pufendorfius in sua Eride denuo in apricum protraxit, quamque sibi placeat ipsi, iterato demonstravit. Stolidi vero an prudentes hoc faciant, unusquisque judicet. Nescio etiam an prudentiæ specimen sit, quod alibi dedit, quodque unum è multis jam adduco, quando de Theologo summo, *τῷ πρῶτῳ ἐν ἀγίοις,* florente adhuc Nobili ejus Profapia, scribere non veretur: *Arguebatur quod, Saxonicus Theologus Matthias Hœus decem uncialium millia a Casare accepisse, eximendis Principis sui animo scrupulis, quos alias facile ista Pax (Pragenfis) generare poterat.* Sed hæc dum aliorum judicio lubenter committo, videre nequeo, quomodo cum iis conveniant, quæ ipse gloriatur a se observata esse; *fidem se, quod præcipuum Historici officium est, summa religione præstitisse; adversæ partis consilia & acta non ulterius fere tradere cura fuisse, quam qua Svecorum velut oculis incurrissent.* Num fides summa religione præstat, ubi rumusculis fides habetur? An Svecorum velut oculis incurrit, quod Dresdæ clam, si factum fuisset, privatos intra parietes contigisset? Sed cum
ita

Ibid. p. 34.

Epistolar. IX, 25.

Comment p. 35.

Ibid. p. 6. 32.

Comment. p. 5.

Erid. p. 176.

Rerum Svecicar. L. VII. p. 195.

Ib. in præfat.

Dan. Heinsius
us Lib. II. de
Satyra Horat:
pag. 141.

ta se gesserit, ubi Historicum agere voluit, debuit; Quid mirum, quod in Satyrico habitu alius apparere non potuerit? Quamquam nec hujus partes, si licentiam nugandi excipias, ullo modo implevit. *Mibi autem hoc videtur, inquit artis hujus Doctor Optimus; cum in emendandis hominum moribus ac vita requirantur non pauca; tum in notandis, & prudentiam imprimis & Naturæ felicitatem requiri. Quæ duo, nisi accedant; res per se ingrata, aut offendit, quos non debet; Aut furiosa ac insana, legibus & poenis emendatur: neque tantum aliis sed & sibi noxa est, ac fraudi.* Nolim optare, ut hæc omnia contingant Pufendorfio, quamvis ea sit pro meritis quam qui maxime; Id tamen scio, novissimum hoc scriptum omnino noxæ ipsi esse apud non paucos, qui postquam ingenium hominis æstimarunt hæcenus, jacturam hic ejus manifestissime deprehendunt, lubentissimeque agnoscunt. Tu itaque, quid facias, Illustris Seckendorfi, cum Scriptore, sibi magis quam Tibi noxio, quique famam non Tuam, sed propriam culpa sua lædit ac perdit imprudentissime? Virtus tua ejusque dignitas longe altius posita est, quam ut calumnia ferire eam aut attingere queat. Hac involutus tuto quiesce, meque de iis, quæ rem attingunt propius, mihi que intentantur spicula, Tecum collocuturum more tuo, quod est, benevole audi. Quod si tamen succurrat Tibi aliquid, de quo vix dubito, quod in Commento Pufendorfi notandum monendumque duxeris, id quæso transmittas mihi, forte huic Epistolæ, si fuerit imprimenda, non incommode subjiciendum.

Ego vero quomodo plaustra illa convitiatorum & calumniarum, quæ in me exonerat, ordinare ac disponere potero, ut, quæ digna sunt perlustratione, distincte inspicere, diligenter excuti solideque refelli possint? Enim vero si examinandæ sint omnes, quæ in singulis prope vocibus latent aut patent, criminationes, major omnino nausea, quam illa Herculis in purgando Augiæ stabulo, mihi non minus quam Tibi Seckendorfi Excellentissime, reliquisque, si qui forte hæc legerint, omnibus metuenda esset. Sed non
opus

opus est totam Camarinam movere, cuius fordes mole sua premuntur, fœtore suo supprimuntur. Ad ea vero, quæ ad rem propius spectant, & non omni scrutinio indigna sunt, apte digerenda, nulla commodior adhiberi potest methodus, quam si distribuam omnia illa inter duo famosissima vitia, malitiam atque inscitiam, Censorem secutus ipsum, qui utrumque imputare mihi, sed perperam atque frustra conatus fuit.

Primum locum Jure suo tenet malitia, quippe quod in ipso statim limine Opusculi mei hæreat, suumque ibi evomat virus. Dicitur fuerat à me Libellus meus: *Eros Lipsicus*; per imitationem Pufendorffii, cuius *Eris Scandica* non prodierat tantum in publicum, sed & in illo per me placide ac modestè, prout amantem DEi atque proximi decet, refutabatur. Nec inusitata est hæc, sive allusio, sive imitatio inter Eruditos; eamque cum adhibuisset Seldenus, mare clausum opponens mari libero Grotii, displicebat quidem huic Titulus, ceu putabat, minus latinus, ut loco ejus Thalassocraticum ponere mallet; Seldenus tamen ipsi tunc quoque, cum hanc usurparet *ἀντί-Βεσας, Honos Britannia* dicebatur; Tantum aberat, ut aculeis eum peteret; aut Titulum Libelli cavillaretur. Eros autem meus, tametsi Christianum illum dixerim, ipseque Pufendorffius hunc Ejus Characterem repetat, tam ineptè, tam iniç ad lascivos, ut mollissimè dicam, lusus ab eo detorquetur, ut mirer, Virum dimidiò Seculo majorem inter vigilandum tam juveniliter somniare potuisse. Culpa tamen, si audias ipsum, penes me non plane nulla est; quod adhibuerim *vocabulum sacris literis incognitum, & quo Salaces Poete in centorem impurarum libidinum notant*. At enim vero tum apud Profanos, tum Ecclesiasticos Scriptores *ἔργος* etiam pro amore aut dilectione generatim, imprimis pro vehementiori, quales inter Christianos esse debet, passim accipitur, Nervosè ac clare *Gregorius Nyssenus: ἐπιτεταμένη ἀγάπη ἔργος λέγεται, vehementior dilectio amor dicitur*. Hoc ego sensu *ἔργον* opposui Eridi, amorem liti, Charitem Furia; re ipsa me

In Not. ad L.
II. de J. B.
& P. cap. 1. a.

Comment.
p. 26.

Ibid.

Oper. Tom.
I. homil. 13.
in Cantic.

præstans talem in libello, qualem Titulus designavit. Eum verò, qui secundum suam hypothesin *vagam tantum libidinem* à Jure Naturæ prohiberi statuit, deceant atque tangant obscœnitates illæ, quas proferre hîc non erubuit; non me; cui omnis scortatio vetari à Jure Naturæ dicitur. Habeat ille suum sibi *ἔρωτα ὁμοῦς ἑγὼς ἰσάουρατα*. *Mens Ignat. in Epist. ad Rom. Amor crucifixus est*; si absque cavillo Censoris cum antiquissimo Ecclesiæ Doctore ita loqui mihi liceat.

Manifestum etiam malitiæ specimen edit, quando me in tradenda Juris Naturalis disciplina lucri rationem habuisse, inque informatione studiosæ Juventutis adhuc habere, contra notissimum publicumque veritatis Testimonium scribit. Amicos sibi hic non deesse testatur ipse; nec Ego dubito, quin urgente conscientia, quæ non æque ac calamus aut lingua beneficiorum dememinisse potest, tacitè ipsum calumniæ reum agant & condemnent. Occasionem vero, quâ disciplinam Juris naturalis conscripsi conscriptamque adversus Pufendorium defendi, expressi publicis scriptis ipse, nihil minus quam privatum commodum expetens aut expectans: quemadmodum etiam nihil præter convitia, Pufendorio autore, retuli. Nihilominus tanta Ejus est malitia, ut Libellum etiam meum, quem *Interesse Religionum* voco, hoc nomine cavilletur. Quid vero malitiæ subsit in eo, quod me, *summas rationes non solum religionis Pontificiæ, sed & Earum quæ ab hac discesserunt, ad Interesse, stolidè referre putat*, judicent alii. Num per vim vocabulo illatam me pungit tantum? Num ex Earum Religionum, quæ a Papismo discesserunt, Affectis nonnullos adversus me concitat, tanquam in fidem Eorum iniquiorem? Sed me tuetur hujus vocis declaratio, in ipso libelli limine facta; quâ observata, nullus Christianorum hunc Titulum religione suâ indignum judicabit.

Quid vero est, quod B. Noricum alicubi a Culpa imputatæ adulationis absolvit, alibi vero phrasin Ejus, qua osculari se Compendium meum dixerat, non obscure fuggillat, *Viros tanto impetu ad idem osculandum ruere* cavillatus? Quid

Quid est, quod eundem *Epistolam suam*, quæ secundæ parti Compendii mei præfixa est, *sine dubio non eo sine, ut publicaretur, scripisse* dicit? Facere nimirum fingereque audet, quod lubet; eaque, quæ falsissima sunt, ipsoque B. Norici Autographo refutari possunt, dubio carere tradit; eo nempe sine, ut mala fide cum B. Norico egisse videar, quem tamen ipse fide non optima damnat, cum absolvit. Tam manifesta, tam perversa Ejus est malitia, quæ in utrumque Nostrum hic peccat!

Ibid. p. 39

Melius se habet agnitio hujus vitii, sine quo non obscure Academias prius *Aulas pedanterie* vocaverat.

Ibid. p. 17.

Videri quidem vult, ac si *tale quid nunquam ab eo dictum scriptumque fuisset*; explicans *Aulam pedanterie in genere per quemvis locum, ubi pedantes agunt*; Sed cum hoc dixerit, ubi de me docente in Academia egit; nec de aliis locis fermo ibi aut quæstio fuerit; Non potuit non Academias sub his blanditiis suis aulicis intelligere; præsertim cum inter illa loca, in quibus pedanterias putat esse Pufendorfius, eminere credat Academias, sicut Aulas inter Tuguriola; Haud aliter, ac per Aulam, in qua se jactare debet Æolus apud Virgilium, citatum ab ipso Pufendorfio, non notari quemlibet ventorum locum novimus, sed eminentem illum & ipsam quasi Regiam Æoli:

Ibid. p. 18.

— — — — *immania Saxa,*

Vestras, Esre, Domos.

Et quæso cur nunc demum ita excusat se aut interpretatur, cum jam pridem hoc convitii genus notaverim publice ipsiq; decenter exprobraverim, ubi pisce magis mutus silendo confessus est crimen, quod sero nimis jam deprecatur. Sed seria modo sit ejus pœnitentia, culpam ego ipsi facile condonabo.

Tanta vero cum Ejus Malitia sit maximeque conspicua; incitia Ejus non minor est nec occulta magis, sive eam promat tantum, sive etiam prodat Ipse.

Utrumque facit in argumento nobilissimo, de quo vel maxime inter nos disputatur. Dixi ego, nec aliter dicere potui, fingi ab Eo, contra ipsius Spiritus Sancti *ὐπο-*

Comment.

p. 12.

it. pag 36.

seqq.

It. p. 52. seqq.

υραμιδὸν hominem miserum, e quo socialitatem in disciplina Juris Naturalis deducat. Hanc vero fabulam postquam hæctenus refingere pingereque conatus fuit variis modis, tandem jam negat aperte, confugiens ad sensum hypotheticum, in quo dicit se hominem hic spectasse, *si miser, si* omnibus mediis ac subsidiis destitutus fuisset. Quæritur itaque, an hæc fuerit sententia Pufendorfi, quæ ab ipso proposita hæctenus & a me impugnata fuit? Hoc vero est, quod ego prorsus nego atque pernego. Nec parum in eo fitum est, ut de vera ejus sententia, quam huc usque defendit, plane pleneque constet; sic enim herbam veritati aperte porrigere cogetur, & ego a culpa commissi sophismatis, quod ignorationem Elenchi vocamus, manifeste liberabor. Sciendum itaque est, Pufendorfium, cum hominem tanquam miserum consideraret ac describeret, in eo fuisse totum, ut statum naturalem formaret ac delinearet. Tametsi vero non nesciebat, hominem primum in statu felicissimo, antequam peccasset, vixisse; nolebat tamen hunc agnoscere pro naturali, quod Gentilibus prorsus esset incognitus, quorum captui disciplinam Juris naturalis conformare, maxime cupiebat. Atque huc usque processerat κατ' ἀρσιν, removendo statum integrum; Deinde vero κατ' ἐπίσιν assumebat hominem suum primævum miserum, nunquam & nusquam in hoc universo conspectum, sed a se confictum, ut socialitatem inde, post ex hac Jus Naturæ deduceret. Ad hoc figmentum perveniebat, non negando, extitisse olim hominem integrum; (quam hæresin ego etiam nunquam ei imputavi,) sed abstrahendo ut loquitur, ab Eo, aut seponendo Ejus Notitiam, hominisque miseri supponendo fictionem. His notatis facile constat, quo sensu Pufendorfius primævum hominem miserum hoc loco consideraverit, non hypothetice, *si* miser fuisset, sed categoricè, *quod* aut *quasi* miser fuisset. Video non Lipsiæ tantum sed & Holmiæ in delitiis esse, cum de hac Pufendorfi Sententia quæritur, propositionem illam hypotheticam: Si Asinus volat, Asinus habet pennas. Assu-

Assumamus igitur hanc, cumq; homine misero Pufendorffii committamus; Et quid discriminis intercedat, mox apparebit. Asino nimirum, quando Logici eum tractant hypothetice, per nullam abstractionem cutis detrahitur implamis, sed de eo, qualis est natura sua, nullis instructus alis, nec ulla volandi facultate præditus, afferitur sub conditione, si volet, necesse esse ut habeat pennas; Ad ostendendam vim connexionis, quæ inter volatum atq; alas intercedit. Contra, quando Pufendorffius primævum hominem, in se felicissimum, miserum esse fingit, abstrahit ab eo (sic enim ipse dicit,) omnem illam, quam revera habuit perfectionem; quo factò, non potest non videri miser; & quidem categorice, quanquam in sola phantasia sui spoliatoris. Unde constat, eo differre maximè propositionem hypotheticam & abstractionem Pufendorffianam, quod *per illam* Asinus maneat Asinus; *per hanc* homo integer ab eqvo, quod est in proverbio, jubeatur descendere in asinum, hoc est, seposita felicitate ac dignitate sua referre hominem miserum, non à DEO ad imaginem sui creatum, sed undecunqve, phrasi Pufendorffiana, in hunc mundum projectum. De hoc verò spolio quæritur inter nos: An liceat Christiano illud committere nec ne? Ego adversus aientem Pufendorffium id prorsus improbo constanterqve nego; propter axioma Christianæ Philosophiæ præcipuum: Cujus contrarium à DEO est revelatum, id nullo modo licet fingere, nec per fictionem præsupponere. Audivi vero semel iterumqve, me committi hic mecum ipso, qui dixerim: *Finge per impossibile, extitisse tum (in statu integro) tantum hominum numerum, quantus ad possidendum terrarum orbem fuisset requisitus, singulis domini partem aliquam concedere opus habuisset Protoplastus, quia pro singulis aliquam accepisset. Alias fuisset injustus.* Ergo licet fingere, meo exemplo, aliquid à revelatione diversum. Quis vero non videt, captiose hic mecum agere omnes illos, quicunqve ita ratiocinantur? Certum enim est, me verbis illis, quæ adducuntur,

tur, non sequestrare ullo modo revelationem, de binario protoplastorum numero, sed tanquam certissimam, adeo, ut secundum eam res aliter se habere nequeat, in hac ipsa argumentatione mea præsupponere; unde dico, stilo in scholis usitato, *finge per impossibile*, hoc est, cogita quidem sed memento simul, rem ita se habere non potuisse; quod Pufendorfius in fictione hominis sui miseri nequaquam facere aut imitari potest, nisi velit sibi perire omnino finem suum, ob quem illum fingit. Facit enim illud unice in gratiam gentilium, qui hominem quidem miserum imaginari sibi facile possunt; nihil vero de primæva felicitate sciunt; quam proinde totam in illa fictione seponere oportet, nisi à gentili pro mendaci haberi ac irridari velit. Hoc vero facere Pufendorfius, patet ulterius è methodo, qua in hunc errorem est prolapsus. Videbat nimirum, omnes, qui de idea aut essentia Juris Naturalis egerunt, ad prima tempora recurrisse; unde idem faciendum esse, rectè omnino concludebat. Sciebat deinde, primo tempore hominem revera fuisse felicissimum; sed hoc tempus gentilibus incognitum esse, vere quoque statuebat. De alio itaque, quod & illi admitterent, inveniendo, cogitabat. Tametsi vero apud Hobbesium tale forte reperiebat; durius tamen id ipsi videbatur esse, quam ut adhiberi posset, cum per bellum omnium adversus omnes ab illo describatur, quodque gentiles primo statim intuitu possit deterrere. Hinc suum illud haud parum mitius, de homine, non malo, sed misero, tranquille quidem, sed infeliciter vivente, finxit, suæque socialitati supposuit, ut eam quomodocunque sustineret. Hinc quomodo Hobbesius & Pufendorfius hic conveniant, quomodo differant, clarissimè certissimeque cognoscitur. Ille nimirum hominem primum (sit venia verbis apud Censorem nimis rigidum!) positive, hic private miserum, illeque ut actu sic existentem, hic ut fictum introduxit, uterque tamen categorice illum ut talem descripsit. Frustra igitur, frustra differitur tam prolixè de diversitate hypothesium & hypo-

Comment. p.
36. seq.

hypotheticarum propositionum; cum hæ non magis quadrent ad institutum & sententiam Pufendorffii quam tenebræ ad lucem. Nisi vero Lucem veritatis jam agnoscit, missaque categorica sua fictione, hypothetice incipit loqui; quem in modum nos plene habebit consentientes. Quis enim dubitaret, hominem si miser primo tempore fuisset, sociâ aliorum opera opus habuisse? Quam difficile vero est, errorem fateri, tametsi cognitum & improbatum!

Clarius hunc agnoscit in Rheno ad meridiem Germaniæ per Monzambanum posito; quasi Pufendorffius non sentiat, quando Monzambanus pro merito suo vapulat. Errorem vero cum negare non possit, simulatum tamen illum a se aut personato Monzambano tantum, revera non commissum esse, miro artificio comminiscitur; quasi *dat. a operâ in principio Libri sui falsi quid posuerit, ut eo facilius Italus crederetur, apud quos ingens fere inscitia exterarum regionum est.* Sed hoc ipso novum errorem committit, qui priori illo si non major est, pro minori tamen vix ac ne vix quidem haberi potest. Annon enim tantus Historicus & Politicus ex Italici Tacitum legit, ei quæ hunc Germaniæ limitem ex occidente agnitum fuisse, observavit? An non novit magna illa inter veteres Geographos nomina, Pæ Italorum nobile, Solinum atque Plinium Majorem?, cui plurimum deberi fatetur Cluverius, recentiorum hujus scientiæ Ducum Princeps. Annon nostro tempore a Johanne Baptista Ricciolio, Ferrariensi, Geographiam reformatam esse, vidit aut audivit? Tantum abest, ut ingeniosissimæ curiosissimæque genti tanta negligentia, tantaque inscitia, sine injuria, potuerit affingi aut imputari.

Nescio vero, an ad confessionem inscitæ patiatur referri, quod de curta supellectile sua in doctrinis metaphysicis testatur ipse. Tametsi vero meo quoque loco nemini sua deo, ut futilitates Scholasticorum, quas illi subtilitates vocant, non sine jactura temporis, rimetur nimis aut admiretur; falsissimum tamen est, *nil solidi eam continere*; minus autem honorificum ei, qui supremum Philosophiæ hono-

Comment.
p. 56.

L. de situ;
moribus & popu-
l. German.
initio.

In præfat. de
Antiq. Geo-
graph.

Comment.
p. 29.

Ibid.

honorem exambiiit, scribere fateriq; publice, *bono suo fato non altius se isti lacuna, quod est, ipsi Philosophiæ primæ, se immerfisse, quam quantum necessarium erat, nempe ut intelligeret, nil solidi eam continere.* Caveat itaq; sibi, ne audiat, me tacente, ex aliis illud *πολυδρῦλλον*: Ars non habet osorem nisi ignorantem.

Comment. p.
9. 199.

Inscitiam verò, quam de Philosophia Christiana habet, tantum abest ut agnoscat, ut magis magisq; foveat eam, augeat ac incrustet. Ficulnea tamen imo straminea sunt, ut in mala causa fieri solet, argumenta, quibus denuo utitur, nititur. Nec ad illa refellenda majori apparatu opus est, quam ut mea sententia recte intelligatur, debiteq; applicetur. Quod si enim notaveris tantum, Philosophiam Christianam mihi esse, quæ, ut Philosophia, Theses suas è lumine naturæ deducit, & in quantum Christiana est, nonnullas è Sacra Scriptura hypotheses assumit, corruunt illa omnia, quæ vel repetendo è toties dictis & à me refutatis, vel fingendo noviter, objicit mihi Pufendorfius. Quis enim non videat, nullam, ceu sæpius ostendi, confusionem Theologiæ ac Philosophiæ hoc modo fieri? cum relatione divina æque, imò magis longeque certiq; niti liceat in præsupposito de τῷ ὄτι, quam humana; quæ tamen, utut non semper est certissima, in omnibus Philosophorum Scholis sæpius loco fundamenti ponitur aut substernitur. Quis non intelligat, opus esse, ut antequam è Scriptura hypotheses à Philosophis depromi possint, prius à Theologis verba recte exponantur, adeoque constet, quo sensu e. g. DEUS oculos, aut pedes &c. habere dicatur? Quamquam etiam populares locutiones, e. c. quando *volucres Cæli*, ut observat ac urget Pufendorfius, *nidos, & humani affectus sedem in corde habere* dicuntur, Philosophus ipse, dum legit eas, statim intelligit, & nullam inde hypothesisin per ullam *ψευδερμηνείαν* petit. At enim vero si Concionator ad populum verba faciens, ubi mentio incidit de *socris Petri, quam Salvator noster à febre curavit, vellet digressionem facere de natura & differentia febrium, de fer-*

Ibid. p. 10. 11.

Ibid. p. 9.

WICHO

mentatione, de causis intensio-
 rum & remissionum in febris, de
 vene sectione, de virtute radice Chinae
 & similibus, etsi haec omnia
 verissima & argutissima essent,
 ab Auditoribus tamen plane
 delirare censebitur. Sit ita; cen-
 seatur meo quoque iudicio non
 adeo sapere; an vero propter hypo-
 thesin in S. Codice desumptam,
 an propter digressionem inepte
 institutam? Posterius tam certum,
 tamque clarum est, ut expressis
 verbis id Censor ipse agnoverit.
 Quomodo itaque, nisi ut exem-
 plum ineptae digressionis ipse
 praerberet, id mihi opponere
 potuit?

Postquam autem suam, quam
 generatim de Philosophia Christiana
 habet, inscitiam sic iterum testatus
 est abunde; eandem speciatim etiam
 de Christiana disciplina Juris
 Naturalis haud obscure prodit.
 Officium hujus est, hominem
 corruptum in moralibus conformare
 homini integro; atque ut hoc facere
 possit, fundamentum est Revelatione
 petit; quod una mecum Te, Illu-
 stris Seckendorfi, statuere dicebam
 inque Te laudabam. At vero hac
 ratione analogiam Entis ad Non-ens
 fingi Pufendorfius fingit ipse.
 An enim inter Non-entia ille
 abjiciendus est status, cujus reli-
 quias actu in nobis invenimus?
 An Non-enti conformatur se mercator
 aut miles hodie, quando in studio
 aequitatis ac justitiae ad exemplum
 harum virtutum absolutissimum
 in statu integro respicit? Christum
 autem hic potius imitandum esse
 censebat aliquando Adversarius;
 sed postquam respondi solide; neg-
 lectis masculis, uxores est foemina
 non ad exemplum Evae sed Sarae
 in S. Scriptura remitti jam monet.
 Eadem vero responsio, quae ibi
 obtinuit, hic quoque valet. Sit enim
 ut Christus omnium, ita Sara uxorum
 domi exemplum. Principium tamen,
 est quo jus Naturae deducam, esse
 non potest, quippe quod in ea
 originarie illud non fuerit, nec ex
 ea reliquiae illius in nos sint
 deductae. Quo igitur nisi ad
 Protoplastos, quibus praerogativa
 ordinis hic est relinqvenda,
 nos convertamus?

Adeo vero caecutire illum in
 agnoscenda Christiana Philosophia,
 non mirabitur, qui observaverit,
 Cartesianum

C

qui-

Comment.
 p. 49.

In Parænesi, E-
 rot. p. 163.
 Comment.
 p. 42.

Comment. p.
15.

Cartes. de pas-
sionib. Animæ
pag. 45, 86. 98.
100. 105. &c.

Comment.
p. 13.

quidem ipsum esse aut velle videri; nec tamen nosse, quod Sectæ hujus Princeps *Philosophiam moralem attigerit*. Quid vero est, agere de *Amicitia & devotione in supremum Numen, in Principem, in Patriam, in Civitatem ubi habitas, imo in privatum quempiam; de humilitate honesta; de morsu conscientia; de invidia, quomodo justa vel injusta esse possit; de gratitudine & ingratitude &c.* nisi *Philosophiam moralem attingere, imo intima ejus scrutari ac proferre?* Nova vero ejus *Inscitia est, quando valde dubium ipsi videtur, num ego unquam Cartesii, ut & Hobbesii scripta legerim, eorumque sententiam recte perceperim.* Aliud testantur Scripta mea contra utrumque; Imprimis adversus Cartesium dissertatio de Cartesianismo & Coccejanismo, hic & in Belgio impressa; tum etiam contra Hobbesium Compendium Juris Naturalis; eoque magis, quo minus incognita mihi est harum novitatum malignitas, abhorreo ab iisdem, & quod semel dixi, iterum iterumque dico, nec unquam revocabo, rumpantur ut ilia Cavillatoribus, *me Christianum quam Cartesianum Philosophum esse malle.* De commodo enim, quod est Christiana Philosophia in orthodoxam Theologiam redundat, cum constet manifestissime; de damno quoque, quod est Cartesianismo imminet ipsi, nullum est dubium, idque Theologia Cartesiana, quæ ex illo propediem, nisi, quod speramus, abortus fiat, in Belgio nascetur, satis superque testabitur. Quam autem vellem, Hobbesium Pufendorfio prudentius lectum aut rectius intellectum esse! Sic enim *κακοζήλιαν* in multis e. c. in fingendo homine primævo misero; in derivando Jure parentum aliunde quam è generatione, inque aliis non paucis, quæ ipsissimis Hobbesii verbis, suppresso Ejus nomine, nonnunquam describit, feliciter evitasset.

Quando vero memini Erroris ejus, quem de Jure Parentum in liberos commisit, non possum non notare inscientiam Ejus, qua nunc laborat, quando consequentiam a beneficio generationis ad imperium per saltum in divina infringere non erubescit, *Nam scire velim, inquit, è Theologis,*

Comment. p. 40

ΒΙΤΥΜ

utrum in sublimi mysterio sacro-sanctæ Trinitatis hæc ex se mutuo
consequantur; Pater genuit filium, igitur Pater habet imperium
in filium. Aliam enim divinæ, aliam humanæ generatio-
nis rationem esse, ideoque a neutra ad alteram consequen-
tiam valere, quis præter Pufendorium ignorat? Quan-
quam etiam non dubito, canere adhuc ipsum cum Ecclesia:
Der Sohn dem Vater gehorsam war; quod in sano sensu
rectissime asseritur, secundum ipsius Filii DEI testimoni-
um Ps. XL. 9. יִצְחָק / h. e. non solum paratus sum exsequi de-
creta tua, verum summa quoque cum animi promptitudine exsequi
id omne propero; quæ est anglicæ B. Geieri in b. l. Ea vero, quæ
desiderat in probationibus sententiæ meæ, cum non refu-
tet, sed cavilletur eas, rejiciuntur ipsius verbis, quibus me
laceffit; Unde debuisset, inquam, rationes meas destruire, an-
tequam de absurditate sententiæ meæ latraret. Hoc itaque sibi di-
ctum putet.

Sed regrediamur iterum ad Hobbesium & Cartesi-
um, cum ferre nequeat Pufendorius, me dixisse, ex hoc
aut illo hausisse ipsum πῶτος novaturientium ψῦδος,
quod licitum sit fingere in Philosophia, tametsi contrarium in sa-
cris literis descriptum extet. Nam hoc quidem, inquit, figmen-
tum nusquam in Cartesio & Hobbesio, multo minus in meis scriptis
extat, ac revera ψῦδος Albertinum & impudentissima calumnia
est. Absit, ut tam grande commiserim scelus in tam in-
nocentes viros! Enimvero vertendus est Titulus, cum-
que ego sim oppido innocens, culpa penes illos residet.
Nam tametsi hoc axioma generale nusquam apud Eos
legatur: Licitum esse fingere in Philosophia, tametsi contrari-
um in sacris literis descriptum extet: Exempla tamen hujus-
modi fictionis in eorum scriptis omnino inveniuntur.
Annon enim fabula Hobbesii de primo homine misero,
imo malo ac truculento, repugnat Scripturæ? Annon
Spiritu Sancto contradicit Cartesius, fingens: Etsi DE-
us nullam mundo aliam formam, quam Chaos, ab initio addidisset, Cartes. de Me-
dummodo post Naturæ leges ipsi concursum ad agendum, ut solet, thodo p. 36.
commodaret, sine ulla in creationis miraculum injuria credi posse,

eo solo res omnes pure materiales cum tempore, quales nunc esse videmus, effici potuisse? Ut alia hujusmodi ἀντίρροφα somnia horum Duumvirorum jam taceamus. Quamquam itaque monente conscientia, expressis verbis dicere ausi non sunt, licitum esse, fingere in Philosophia, tametsi contrarium in sacris literis descriptum extet; revera tamen id utriusque fecerunt, & Pufendorfium, ut simile quid auderet, seduxerunt. In eundem modum Pontificii ut plurimum negant, sententiam suam esse, quod fides hæreticis non sit servanda; id tamen, quod non dicunt, revera faciunt. Aut, quemadmodum Pufendorfius nullibi docet licitum esse, uti terminis barbaris, & tamen eos subinde adhibet, *modos suos affectivos & aestimativos, τὸ materialiter* Erid. pag. 250. L. VIII. de I. & c. tersissimo suo calamo excipere ac exprimere non dedignatus: ita illi non quidem dicunt (in actu signato, ut libertate Pufendorffii hic utar,) hujusmodi figmenta esse licita; ea tamen (in actu exercito) cudunt & sistunt facto ipso.

Comment.
p. 42.

Quo certius autem est in disciplina Juris Naturalis, DEum hujus Juris Autorem esse verum atque unicum; eo clarius etiam inde constat, eundem non posse non omnium nostrarum actionum ultimum esse finem; easque proinde in gloriam ejus à Jure Naturæ principaliter dirigi. Id ignoravit Pufendorfius, putans, *hanc doctrinam non ad Jus Naturale, sed ad Theologiam moralem spectare.* O vim longe maximam Juri Naturæ a Doctore ejus iniquissime illatam! An enim hoc solum ex omnibus omnium generum Juribus tam negligenter agat cum Legislatore suo, ut cum illa, quæcunque præcipiunt, omnia, fieri jubeant ex reverentia in eum, a quo lata sunt ipsa; Jus hoc omnino divinum dememinerit dictare ac exigere, ut omnia fiant a nobis in honorem Autoris sui, DEi Optimi Maximi? Sed si utrumque oculum deorsum flectas cum Pufendorffio, omniaque cum eo ad socialitatem referas tanquam ad scopum ultimum, sursum attollere neutrum potes; magnâ incuria, sed majori in Jus Naturæ ipsumque DEum injuria.

In-

Inscitia quoque est, eaque jam inveterata, quam sæpius ei demere studui, quando Christianis peculiarem Juris Naturalis Methodum præfracte denegat. Ostendi contrarium multoties exemplo Theologiæ Naturalis, quæ Methodo longe perfectiori apud nos quam Gentiles tractari potest; Assumptis nimirum hypothefibus variis è Sacra Scriptura, quibus illa deinde non paucas Thesium suarum firmissime certissimeque niti videt: Plane sicut in disciplina Juris Naturalis Christiana, multo feliciter faciliusque, per similia præsupposita, procedere ac proficere possumus. Id vero cum sit clarissimum, ne in speciem quidem unquam Pufendorfius aliquid reposuit. Quid vero est, responsio an confessio inscitiae? quando jam dicit: *Christianos peculiarem habere methodum Juris Universalis nego, qui & in hoc addiscendo nihil damni sentient, si deliria Alberti insuper habuerint.*

Ibid. p. 51.

Ibid.

Postquam autem hoc subsidium disciplinæ Juris Naturalis perque eam toti Philosophiæ Christianæ, quod in præsuppositis Biblicis invenit, tutum præstiti, simul constat, quod hac ratione Theologiæ etiam Philosophia Christiana subordinetur, non quidem ratione thesium, sed hypothesium; nec essentialiter, ut loquuntur, sed accidentaliter; quoad bene esse, non quoad esse ipsum; quas diversas subordinationis species Pufendorfius semper confundit, eoque inscitiam suam nolens volens prodit.

Qua verò scientia & conscientia sapientissimos Majores Nostros, qui Methodum studendi hac in Academia receptam hodieque usitatam delinearunt, & introduxerunt, gratoque animo à Me deprædicati sunt, per indoctos Iri Perliri sui Antecessores exponit? Hoc enim officio defunctos fuisse Melancthonem & Camerarium, Par sine pari, omnibus, qui quidem mediocrem hujus Academiæ notitiam habent, satis constat. Nisi vero in gratiam Iri Perliri sui hunc saltum è tempore post Reformationem in barbariem Monachorum usque facere voluit; aut συμπαθείαν, quæ in-

In Scarfchmi-
dio vapulante,
Erid, pag. 182.

ter ipsum ejusque amantissimum Rolletum, tanquam alterum ipsum est, declarare, inque ejus morem Iri Perliri honorifice meminisse.

Me vero quando inscitiae infimulat, quod in illo Virgiliano:

Comment.
p. 25.

Erinnys

Invisum Numen, Cælum Terrasque levabat,

in sensum Poetae peccaverim, nã ipse testimonium Insцитiæ perhibet sibi. Nam tametsi ad probandum non possint adduci verba alterius, nisi in eo, quo illis usus est, sensu: Ubi tamen ornamento saltem esse debent, in voce, si sit ambigua, deflectere à mente auctoris, quid vetet? præsertim cum verbum *levare*, propriissime significet idem quod attollere, in quo significato id ego adhibui, sensu verborum sponte sic fluente: Erinnys terras cælumque *levabat*, hoc est, attollebat aut commovebat; Alter vero ille, quo idem ac est *relevare, recreare*, uti h. l. apud Virgilium, nemini succurrat facile, meumque contextum aut legentis animum turbare nequeat, nisi, quæ antecedunt, adjiciantur. Nam studio ea per me revulsa sunt, illisque subjecta, ferente id imo exigente nova constructione. Rectius itaque fecisset Censor, si crisin suam limamque ejus adhibuisset domi, & e. c. *dicterium* non dixisset vulgatam Jctorum sententiam: *Consensus non concubitus facit matrimonium.* Et mirum omnino est, eum, qui

L. VI de J. N.
& G. cap. 1.
§. 14.

— — — dicteria dicit in omnes,
dixisse de dicterio, ubi nullum est aut auditur; non attendendo, quod Jctos, quos suæ magis quam meæ sententiæ favere, toties gloriatur, aculeo hujus vocis petere, pun gereque videri possit.

Comment.
p. 45.

Ex inscitia vero, ceu sæpe fieri solet, miratur, *dicere me, quod nesciam, qui de primæva hominis perfectione dubitent*; ea nimirum, quam moralem dicimus; & quidem, qui è Christianis nomine hoc vere digni censerentur. Hæc enim expresse ac consultò adjeciverba, ubi hoc dixi; quæ Censor

Erot. p. 17.

for male suppressit. His autem restitutis apparet verissimum esse, non dari Christianos, hoc axioma revera dignos, quide morali perfectione hominis integri dubitent. Nam Socinianos, cum hoc titulo jure suo frui nequeant, ipse sequestravi; & Grotius quem mihi objicit, ex iis errore suum hausit; deserens in hoc manifeste sectæ suæ sententiam, cum Arminiani, è quorum numero erat, tanto applausu excipiant, foveantque doctrinam Orthodoxorum, Calvinianorum atque Pontificiorum de perfectione primæva morali, ut, qualemcunque justitiam originalem Adamo & Evæ attribueris cum Ecclesiis sive Reformatis sive Romanensibus, sive aliis quibuscunque, eum volentibus ac lubentibus Remonstrantibus Adamo & Evæ attribueris, dummodo Justitiam originalem ejusmodi qualitatem aut formam esse non dicas, qua posita, impossibile fuerit peccare Adamum. Qvi verò è Patribus imaginem DEi allegorice interpretati sunt, mihi objici non possunt, cum per hanc expositionem non negetur perfectio moralis Protoplastorum; nec de prisca sed hodiernis Ecclesiæ Doctoribus sermo mihi sit, à quibus hypotheses meas perfectione illa innixas, indubium revocari, perperam dixerat Pufendorfus.

Comment. p. 46.

Remonstr. in Apolog. f. 60.

Inscitia quoque est, qua vellicat Titulum Libelli mei: *Alberti Eros Lipsiensis. Scriptus est ad Seckendorffium.* Quid enim est, quod desiderare possit vel in sensu vocum vel in scriptura? Nec insolens est aut adeo novum, quod ille forte putat, in ipsa librorum inscriptione indicare aut indicare, quibus illi sint inscripti; præferim si fuerint haud exiguæ dignationis.

Comment. p. 8.

Sed hæc Ejus Inscitia est ex earum numero, quarum similes (puta de Propositionibus inscriptis in Logica, de discrimine substantiæ & essentia in Metaphysica &c.) apud eum plures inveniuntur, sed mihi, quem lædere volunt ac debent, prorsus innoxia, ac nemini non conspicua, ut ab unoquoque agnosci facile caverique possint. Ex hac causa cum tadio legentium adnotare eas ac refellere nolui; quemadmodum etiam nonnulla malitiæ specimina, quæ subinde dedit, ex eadem ratione sicco pede transilii. Qvis enim me silente non intelligat, injuriam B. Scherzero, quicquid dicat, per novam impressionem scriptorum Eristicorum, præsertim, ubi scommata deleta quidem sunt, sed certis signis indicata, factam esse; mihique adhuc inferri, e. c. ubi Scholasticam Philosophiam à me, qui ab Ejus ineptiis recedo quam qui maxime, reduci prolixè declamitat; item quando mihi passim adscribit terminos barbaros, quibus vel nunquam usus fui, vel ad exemplum ejus licite uti potui; Accusato saltem me, ut solus latine loqui imperitis videatur: Similiter, quando mihi denuo post recitaram toties à me historiam, culpam motæ inter nos litis imputat, quam tamen ipse, antequam ego vel verbulo publice ab ipso dissensissem, expresso nomine meo in *Specimine controversiarum* inchoavit. Qvod si verò omnes illi, qui modestissime intra priva-

Ibid. p. 45. 55.

Ibid. p. 30.

Ibid. p. 18. 199

Ibid. p. 25. &c.

Ib. p. 30.

tos

tos parietes ab ejus sententia, ne nominato quidem ipso, prout ego me tunc gesseram, recedunt, tanquam Autores pugnae super salute Graeciae, scriptis publicis refutandi sunt, nam affatim librorum Pufendorffianorum mox habebimus, & nullus eorum dabitur numerus aut finis.

Sed ad finem mihi ipsi veniendum & ad Te, Illustris Seckendorff, revertendum est, à quo paulo latius digressus fui. Vides autem ex his, quae dixi, *quanta tela ista sint*, (ut Calumniatorem Lipsii veritam in Nostrum,) *quae nos turbant*: *Rerum plerumque nihil, sed verborum aliquot nugae: quarum major etiam pars constat vitio interpretantis.* Nos autem cum turbare quidem, non autem perturbare, multo minus laedere valeant, ut ut maxime velint; viderit tamen eorum Autor ipse, quo suo comodo aut damno tot in Nos conjecerit impurissimae suae linguae excrementa. Doctor videri ac haberi vult illius Juris, inter cujus axiomata praecipua est illud vulgatissimum: Neminem laedas. Invertendum hoc fuerit dicendumque: Unumquemque laedas; si ad exemplum ejus scribere quis velit. Christianus est, & ignorare non potest, quam exacte à nobis omnium verborum otiosorum rationem requisiturus sit ultimus ac supremus Judex. Horum vero ille adeo est prodigus, ut loquentia futilis & inutilis eloquentia Pufendorffiana sit dicenda. Mirum miserumque profecto, horum non meminisse hominem, quem aetas quoque non minus ac me ejus *εὐχρηστος*, de instante judicio, dubio procul quotidie admonet. Fateor autem, me, quoties hac de re cogito, assequi haud posse, unde hanc animi sui vertiginem contraxerit primum; aut sub qua specie adeo illa placere possit ipsi. Dictaturam penes se non esse, verbis fatetur; facto vero eam exercere non desistit. *Prudentes*, ut penicillo Lipsii eum iterum depingam, *probos, doctos, hostes omnes habet; & vos modo criminationum machinis violente concutit, modo suspicionum cuniculis callide subvertit. Varios igitur laedit: Sed & varia in re laedit.* Non attendit, minor sit an major, adversus quem insurgit. Unus praevalet omnibus. Si Principes bonarum literarum, Grotium aut Boeclerum, ipsi objicias, repelluntur illi tanquam Ludi Magistri, formula eorum, qui ex ephebis excefferunt: *Manum ferula subdaxi.* Unum vero, quod etiam ad commiserationem valide me movet, mihi subinde incidit, dari forte homines, & ex iis esse Pufendorffium, qui morbo animi, absque culpa, propemodum sua naturam laborent, ex quo non possint non aliis molesti esse, sive id dicendo sive scribendo fiat; quemadmodum inter morbos corporis sunt, qui urbanum ac humanum, comem aut affabilem vix patiuntur esse eum, qui illorum uno laborat. Hos autem in communi vita ferunt prudentiores; quid itaque idem humanitatis genus non dissimilibus animi affectibus denegemus? praesertim si aliqua spes recuperandae sanitatis supersit. Hanc autem praebet de se Pufendorffius, mutato jamjam, ut superius vidimus, in nonnullis animo. Idem ut speremus ulterius, faciunt verba ejus imprimis vera & salutaria, utinam seriae poenitentiae ac emendationis praenuncia: *Nemo cordatus erubuit posteriores cogitationes prioribus praetulisse; multo minus ab initio confusus, obscurus aut incommodius dicta, deinceps explicare & illustrare.* Faxit hoc, & Nos ipsi L. M. Q. applaudemus. Te vero, Mecenas Optime, diutissime florentem vigentemque in summa tam publica quam privata tranquillitate servet Deus! Lipsiae Cal. Octobr.

A. M DC LXXXVII.

In Orat. de Calumnia, prope finem.

Ibid.

Comment.
p. 19.

Ibid. p. 54.

Sequentes Annotationes
 Illustris SECKENDORFIUS

Ad
 D. VAL. ALBERTI,

Cum jam imprimeretur Epistola, transmisit.

Ad pag. 6.



Nihil in toto hoc exulcerato scripto melius reperio, quam quod recte coniecit Autor, me elogiis à Dn. D. Alberti, in Inscriptione mihi tributis, in ruborem coniectum esse: Sed hic non est solus, quem nimia, fateor, de me opinio, decepit, & excusator erit illa laudum hyperbole, quia minime est parasitica. Nihil enim à me in D. Albertum collatum est, aut conferri potuit, quod ipsum ullo modo ad adulandum movere poterit: Vix quater aut quinquies, nec ultra quadrantem horæ, singulis vicibus, collocti sumus, illo, quo ob negotia Principum in nundinis Lipsiensibus adesse solebam, tempore. Jecit ille fortunæ suæ fundamenta, antequam me vel de nomine novisset; vivit in loco, ubi nihil possum; Itaque qualiscunque in me affectus ejus sit, à parasiticis fordibus purissimus est. Ad Grammaticam vocabulorum crisi Dn. D. Alberti respondebit, nec illa ulteriori examine digna est. Cæterum falsum vel coniecit vel fingit Autor, quod à me D. Albertum incitatum esse scribit, & ut festivus est, cum cæstro acerbè sonanti me comparat; si vidit & legit epistolam meam quam indigitat, eamque ita est interpretatus, ut putet D. Albertum ad scribendum contra eum à me incitatum esse, oportet eum ex impotentia mentis sensu tunc caruisse; si non legit, quod fateri (p. 31.) videtur, temerarie pronuntiat, & maligne indulget suspicioni.

Ad pag. 32. Nullum mihi fastigium arrogo, contentus sum gradu, in quem bonis artibus enixus sum: fortunæ parum debeo, nec abusus sum ea, quam Deus mihi concessit, & fugisse me ejus augmenta, Magnorum Principum, quas servo, literis, confirmare liceret. Ingenicula-

D

cula-

culatione hominis carere possum, honoratior per eam non futurus; & quis eum tremere aut ingeniculare jusfit? tremet forte, cum aliquando præcipitantis & maledicæ lingvæ suæ vitia agnoscat.

Ibid. Eodem Jure competere illi & aliis judicium de meis scriptis, quo mihi in illius vel aliorum, facile concedo: Huic legi omnes qui libros publicant, subjiciuntur, etiam inviti. Conferat vero aliquis, qui extra partes est, qua modestia ego de Pufendorffii sententia *Libro III. de Christianismo Cap. VIII. §. 6. in Addit*: non tam judicaverim quam dubitationem aliquam proposuerim; cum Censura, qua ille, Eridis suæ cauda, non opinionem meam, sed me ipsum infestavit. Poterat a me dissentire, poterat refutare meam, defendere suam sententiam; nihil opus ad id erat ulla insultatione in me aut mores meos. Agnoscit ipse (p. 33.) Modestiam in meis verbis, sed *revera dicit affatim veneni tegere*. Hoc venenum in se oportet eum invenisse; Quæ enim mihi causa esset venenum contra eum fovendi, aut quid prohibeat id tegere, si fovissem? Non est, ne dicam Christiani, sed nec civiliter boni viri, ut absque necessitate, mala interpretatione corrumpat, quæ bonam admittunt. Æstimavi eruditionem ejus ante plurimos annos, licet acerbitate ejus in viros ipsi si non præferendos, certe comparandos, non potuerim delectari, qui eruditionem sine modestia parvi habeo; Nihil tamen veneni inde mihi adversus istum conflatum est, neque enim ulla inter me & illum vel commercii vel offensæ occasio fuit, nec certaminis preteritum me dignum esse potuit. Quodnam vero majus æqui & modesti animi, & qui virum bonum deceat, argumentum præstare potui, quam quod post visa & lecta, quæ de me in illa furiali Eride sua scripserat, nihilominus in *Additionibus Historiæ de Lutheranism* honorifice ejus libros allegaverim & laudaverim. *Vid. Addit. p. 289. & 365.*

Ibid. p. 32. Quod D. Albertus librum meum de *statu Christianismi* ideo laudibus extulerit, ut meam de libro suo laudationem rependeret, eadem mente dicit Censor, qua venenum ubique non invenit, sed ex se effundit. Multa ut video in libro illo meo culpat, sed ita, ut pessimum affectum suum prodat

dat: Nolo itaq; ad ea quidquam respondere; sed D. Albertum absolvere possunt ab obnoxii elogii vilitate, tot egregiorum virorum pro meo libro testimonia, quibus abundanter compensare licet Eridis calumnias. Eorum aliquos, qui librum, antequam ederem, me rogante, perlegerunt, suaque dignati sunt approbatione, in præloquio nominavi; ita enim exigebat grati animi officium; plures tacui nec nunc nomino, quia vanas insectationes risu & silentio transmitti satius est. Respondendum tamen aliquid est ad objectum mihi *hac ipsa pagina* iudicii defectum, quod adversus impietatem scripserim, neglecto, quem magis necessarium putat, adversus Papismum labore, de quo altum, ait, in libro meo silentium esse. Quod prius attinet, gratulandum est sagacitati hominis, qui securitatem adversus Atheismum olfecit, quem imminere optimi quicq; non suspicantur saltem, sed videre se & palpare clamant; Unde tot libri variis lingvis paucos intra annos doctissimorum virorum industria prodierunt, quorum exemplo motus, etiam nostræ nationi, qualicunq; oppella mea succurrere, dum licebat & vacabat, volui. Hanc Eridis tubicen sanna dignam existimavit, & ad remedia adversus Papismum, me vocat, non sine perversitate; Nam nisi præ invidia & amarulentia animi cæcus fuisset, cum librum meum legit, non potuisset non deprehendere, quæ Papismo non uno loco opposuerim; non multo minoris forte momenti, quam quæ ipse in tractatu à me, ut paulo antere tuli, laudato nuper publicavit. Alia enim remedia adversus tyrannidem, quam caveri jubet, præter veritatis professionem & defensionem, privati (qualis ille utiq; non minus est, atq; ego,) expedire in hoc discrimine rerum non possunt. Quod si vidit, uti vix dubitare possum, catalogos librorum nundinis vernalibus hujus anni publicatos, quis credat illi non occurrisse Titulum libri mei *de Lutheranismo*? Ex hoc animadvertere potuit, silentium mihi adversus Papismum à se impertinenter affingi. Videor quidem jam prævidere mihi, quid de hoc etiam labore meo iudicaturus sit. Cum enim me semel in *inscribitorum* caveam dejecerit, ipse scilicet solus in sublimium Scriptorum exedra

fese jactans; quid aliud ab eo, quam quod ipsi solenne est, id est, sarcasmos & contemptum expectare possum? Scripsi tamen istum librum eo loco, eaque conditione & fortuna, ut majori periculo parrhesia mea subjaceat, quam quod metuere is potuerit in illo, in quo nunc est loco, & pro suarum rerum statu. Fascinatam vero propria Eruditionis admiratione mentem, quam Homo svavissimus mihi hic tam liberaliter tribuit, me non habere; vel inde credo probari posse, quod etiam hunc librum (mihi uni in causa gravissima non confusus) antequam ederetur, aliorum judicio subjecerim, quos ob doctrinae copiam & praestantiam mihi praefero, & quos nemo spernit, nisi Spiritu insolentiae & contradictionis affectus. Sed ex ejus effato *d. p. 32. in fin.* debuissim fama mea melius consulere, & a libris scribendis abstinere. Sapit utique homo; & si ante quadraginta annos tam fidelem & gravem monitorem mihi fors dedisset, infamiam *conscribillatoris*, qua hic notor, vitare mihi licuisset: Si autem inexorabilis est hic Censor, neque me *ex quarta & quinta classe* (agnoscimus *pedanteriam*,) in altiore promovere vult, ad mitius tribunal provocandum mihi esse video, neque de moderatori aliqua sententia plane despero. Quod si ipse post bilem tam copiose ejectam ad se redierit, & excusationes non plane rejiciat, praecipitantiam utique suam ex addita inculpatione deprehendet, quod, ut ait, *scribere ipse quam aliis ἐγγυδιώκτης esse maluerim*. Affirmat, ut video, de me, & negat ex suo arbitratu, etiam quae incognita habet. Unde enim scit, me Literatorum promotorem non fuisse; ad praecleara opera neminem stimulasse; nulli materiam suggestisse? Quid si contrarium literis egregiorum virorum probare possim, si modo inter hos esse patitur *Bæclerum*, quam mea causa odisse videtur? Quid si ostendero etiam aliis pro facultatum modulo me succurrisse, aut consilium & adjumenta dedisse? Sed minuta ista erunt apud Hominem, cui omnia mea despiciatissima sunt, & vane jactari videntur.

Ad pag. 33. Jam enim a scriptis ad mores meos censoriam extendit virgulam; trepidat tamen aliquantum, & socios
 quæ.

quærit. Non paucos audire se dicit, quibus magnopere displiceas
 Jactantia mea, per quam ubicunq; possim, de me meisq; actis memo-
 randi & vitæ meæ curriculum alieno loco intexendi occasionem arri-
 piam. Non est ejus fidei aut auctoritatis hic Censor, ut ei de
 omnibus credamus; & dudum illiberale hoc genus sermonis in
 Appio taxavit Tullius, si quis quæ sibi in mentem venerunt, aliis
 tribuat. Aliqua non de actis (de illis enim nihil aut parum
 scripsi,) sed de conditione & fortuna mea, grata erga Deum &
 Principes, eosq; per quos profeci, mente, in Epistolis, quas
 dedicatorias vocamus, & in præfationibus inferui. Habui
 & alias causas, de quibus cavillatori huic rationem reddere
 nihil attinet. Non omnes eodem tumore inflati, & reprehen-
 dendi alienos labores moresq; scabie infecti ultra maria a no-
 bis recesserunt: Habemus etiam, haud procul à nobis, ob-
 trectatores; Deniq; quod Rutilio & Scauro, acutissimi scri-
 ptoris testimonio, nec citra fidem nec obtrectationi fuit, mihi
 quoq; pro fiducia morum potius quam pro arrogantia impu-
 tabitur. Esto tamen quod hic mihi aliquid humani accide-
 rit; Esto, quod orationes meæ, quas amicorum, maxime
 vero juvenum nobilissimorum rogatu edi passus sum, sint fe-
 mi-Theologicæ, & aliquid habeant, quod Rhetor ille mi-
 nutum & ex arte suâ usurpatum deprehenderit; quid nisi
 impudentia & maledicentia eum impulit, ut censuram asper-
 rimam exerceat, & omnia mea nigris conspergat salibus?
 Objicit etiam, quod neglectis aulicæ elegantia legibus illum
 vellicaverim. Quam recte de elegantia aulica mihi, qui per
 quadraginta annos in aulis vixi, præcepta det tyro aulicus,
 ex veterano Scholastico repente factus, non disquiro; quam
 pertinenter autem aulicam elegantiam huc trahat, aut quo-
 modo adversus eam peccaverim, si maxime vellicassem hunc
 de schola hominem, fateor me non intelligere: Discepta-
 mus de argumento philosophico aut scholastico; dissenfi ab
 eo sine omni vellicatione modeste & cum honoris præfamine.
 Quis nisi aulicæ omnisq; elegantia expertus aut Eridis æstro (ut
 supra locutus est) incitatus, id ad inurbanitatem referat, &
 vellicari se putet?

Ad p. 34. Arrogantia me reum facit, quod dictaturam ingenuarum artium invaserim. Si probare hoc potest, tum ego satisfaciam orbi literato ea, quam Censor pro singulari modestia sua præscribere mihi velit, formula; Si præstare id non possit, dicam utiq; , veritati illum haud litasse.

Ad p. 35. An satis causæ fuerit homini, ut famam apud exteros (quam profecto nunquam mihi imaginatus sum, nec quæsi,) mihi negaret, negotia mea extenuaret, & mei odio in manes etiam Bæclerianos iniquus esset, cordati judicent. Phrasi suâ sibi respondere potuisset, laudes ab amicis tributas stolidum esse, ad Religionem Testimonii exigere. Cæterum non expectet; ut ego negotia mea describam aut magna fuisse demonstrem. Nihil ista ad illum; Majora sane non tractavi, multo minus affectavi, quam quæ ex officio legitime mihi demandato incubuerunt, imo gratulor mihi, quod viribus majora aut conscientia vim inferentia non attigerim. Quo sensu D. Albertus dixerit; me fundamentum juris Naturalis ex revelatione petere, ipse in Epistolâ suâ explicat. Ego licet non protinus condemnem, qui aliter censeant, tutissime tamen pro jure universali agnosci posse existimavi, quæ divinis literis non minus quam sanæ rationi conveniunt; neq; tamen inficior simplicitatem captus mei, quem Pufendorfius mitioribus solito verbis p. 44. in me observavit.

Ad pag. 48. Falsum est, me statuere, Philosophiam moralem è solo rationis lumine deductam è Christianorum Scholis proscribendam esse; nec magis verum, quod id ex oculis ganz und gar sequatur. Verba mea hæc sunt p. 555. Dahero gebe ich unmaßgeblich zu erwegen/obs nicht wohlgethan wäre/ daß die Theologia Moralis oder die Ethica Christiana stattlich und außführlich auff hohen Schulen gelehret / und die Philosophische Ethica ganz und gar in und unter jene gesteckt und reduciret/also diese Profession von einem erfahrenen/ grundgelehrten und gewissenhaften Theologo getrieben würde / da dann die Studiosi aller Facultäten/ zum wenigsten in so weit / nechst der Catechesi, die sie in Schulen lernen / und mehrentheils hernach vergessen oder verachten/ unter der lectione Ethica, in effectu Theologische Lectiones hören

hören müßten/und dadurch einen bessern Grund des Christenthums in allen Ständen legen könnten &c. quæ latinè versa sic habent: *Considerandum (nihil tamen præscribens) relinquo, annon satius sit, Theologiam Moralem vel Ethicam Christianam in Academiis solide & sufficienter doceri, & Ethicam Philosophicam penitus sub illam reduci, ita ut hæc professio à peritissimo & doctissimo Theologo, & qui conscientie rationem exactè habeat, susciperetur, eo fine, ut hac ratione Studiosi omnium Facultatum præter Catechesin in Scholis perceptam, & plerumq; oblivioni mandatam, occasione lectionis Ethicæ, Theologiæ auditores fierent, ita firmitus Christianismi fundamentum in omnibus vitæ generibus posituri.* Estne hoc Philosophiam moralem è Scholis Christianorum plane proscribere? aut (ut explicatione Pufendorfiana utar,) proscribiturne aut dimittitur militum manipulus, si aliis melioribus aut pluribus admixtus concurrat ad constituendam plenam in eadem legione cohortem? Aut, si quis Autor sit, ut Hebrææ lingvæ Professio Theologis demandetur, isne illam Professionem è Christianorum Scholis eliminat? Non magis ergo ejicitur Ethicæ Professio, si cum Theologia morali conjuncta, Theologi curæ committatur.

Tandem ut finiam, recessi quidem sed placidè in *Additionibus p. 315.* à Methodo Pufendorfiana, non autem decrevi aut dictavi (ut mihi affingitur) sed ut opinionem proposui, in tradendis *Juris naturalis Principiis* expedire, ut à *Principiis revelatis non abstrahatur*; Neq; enim aliud consulo, quam ut hæc cum illis, quæ extra revelationem Scripturæ ex reliquis luminis naturalis à plerisq; gentibus agnoscuntur, & suo modo divina & revelata dici possunt, jungantur, & ista ex Scriptura suppleantur & solidentur; Neq; tamen ista tali scripsi cum confidentia, quam mihi improbè *p. 48.* tribui video, ut digitum labiis aliorum imponi velim, aut non feram qui contra hiscat. Per me non prohiberi solum nemo potest, qui separatim ista tractare velit, sed & qui id facit, pro docto & bono viro, dummodo calumniis & contumeliis abstineat, nihilominus etiam à me habebitur, licet mihi illa, quam svadere volui, Methodus magis probetur, quæ Juventus Chri-

Christiana non abstrahatur à Regulis sive Principiis revelatis, sed disciplinam Juris Universalis ex his, illustriori fundamento suffultam hauriat. Quemadmodum etiam spirare adhuc, imò vivere, si ita loqui liceat, puto, *veteres illas regulas*, mihi maximæq; parti orbis, quæ Christianus & literatus est, probatas; ut vanus non possit non esse conatus, eas tumulo inferendi; de quo gloriari p. 53. Auctor videtur.

FINIS.



La 233 QK.

112



Q. N. 355, 49.

VAL. AI
P. P. I
EPIST
AD ILLUSTRREM EYO
SECKE
FIU

Commentum S
dorffii de Inve
Lipficæ Pul

Adjectæ sunt ipsi
dorffii Notæ c
Animad



LIP.
Sumpt. MAURITII GR
LITERIS CHRISTI
168

15

Ma
233

2
L. Appella

